

† R. P. Martinus Forner (1874-1936)¹

(Vice-*Prov. de São Paulo*)

Die 5 Martii 1936 in leprosario St. Angelo prope urbem Sancti Pauli in Brasilia ad meliorem vitam transiit, uti firmiter speramus, dilectus R. P. Martinus Forner, genuinus absque dolo Bavarus, vir antiqui moris, valde bonus, rectus, simplex. Natus ex piis parentibus ruricolis die 3 Martii 1874 in pago Schwindkirchen, archidioeceseos Monachensis, sortitus est animum valde bonum, simplicitatem candidam cum aliqua timiditate, atque rectitudinem mentis tamquam pretiosam hereditatem a parentibus acceptam per omnem vitam conservasse dicendus est. Optimi parentes novem filios procrearunt, e quibus duo in tenera aetate obierunt. Praeter Martinum nostrum unus qua frater laicus Congregationem nostram ingressus in variis Brasiliae domibus optima praestitit et praestare pergit servitia.

Martinus puerulus e domo paterna egrediens, ut scholam, et antea S. Missam frequentaret, toties a sollicita matre interrogationem audiebat, annon oblitus esset rosarium et librum precum, ut ad finem vitae usque piam hanc matris sollicitudinem in memoria retineret. Quam juvenis e P. Martini a Cochem libro hauserat sacrificii eucharistici aestimationem, eam per totam vitam conservavit, religioni sibi ducens quam plurimis Missis pie assistere. In schola et per omne studiorum curriculum, eheu! « multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit »; memoria non ita tenax, intellectu minime sagax erat; labori non parcens, paene lacrimans condiscipulorum auxilium, magistrorum patientiam conquirebat; immo in addiscendis linguae Latinae elementis sancti Ioseph patrocinium invocare coepit, id quod et postea praesertim in examinum angustiis non omisit. Sanctissimo Missae sacrificio inservire in deliciis habebat, sicque et parochi bonam gratiam ob suam sedulitatem et populi fidelis aedificationem et venerationem ob suam pietatem concitabat.

¹ Effigiem Patris Forner videsis *Analecta* XI (1932), 57.

Quid mirum, quod et parentes et parochus simul ac plerique fideles animo concipiebant cogitationem Martinum nonnisi in sacerdotio Deo servire debere? id quod et intimo ipsius Martini conveniebat desiderio Pii parentes et tot alii vivam conservarant memoriam missionum, quas Redemptoristae, tunc e Germania exules, in illa regione aliquibus decenniis antea tradiderant. Simul atque notitia ad eos pervenit ab iisdem Redemptoristis clanculo scholam praeparatoriam in propinqua parochia Heldenstein inceptam esse, Martinus, ut in iuvenatum admitteretur, et petiit et obtinuit. A primo in iuvenatum ingressu — mense Aprili 1887 — sicut radii solis splendorem dederunt et Martini pietas et cordis bonitas, candida modestia et humilitas cum innata illa timiditate. Omnibus exemplo erat eius fidelitas in observandis iuvenatus regulis et statutis.

Mense Octobri 1893 novitiatum inceptit magistro R. P. Ioanne Frankenberger, quem non pauci aequae, immo vel magis dignum habent quam eius discipulum, Servum Dei P. Stanggassinger, cuius causa beatificationis introducat. A studiorum laboribus et examinum aerumnis solutus pius novitius solis pietatis exercitiis occupatus sibi videbatur vivere quasi in paradiso voluptatis. Recurrente mense Octobri anni subsequenti sacra vota emisit.

In domo Deggendorf studiis philosophicis et theologicis incumberebat, donec anno 1897 in longinquam missionem Brasilianam se contulit, ubi studia altiora continuans mense Decembri eiusdem anni, solito celerius — ob sacerdotum penuriam — sacris initiatus est.

Paucos post menses in domum Campinas — Status Goiaz — missus est, ubi forti animo omnes labores, aerumnas consolationesque muneris apostolici expertus est. Inter homines rusticos et simplices illius regionis magna cum alacritate laboribus etiam durioribus incumberebat, animos fere omnium sibi devinciens, ita ut per longam annorum seriem ipsi gratam servarint memoriam. Anno 1905 inde revocatus partim domui Aparecida, partim domui vix inceptae in Penha adscriptus, huic ultimae ab anno 1908 ad 1909 praefuit et per triennium 1909–1912 rectoratum in Aparecida gessit. Etiam in domo Perdões, postquam maior pars communitatis in domum Araraquara translata est, Superioris munere fungebatur, donec domus illa derelicta est. Iterum annis 1922–1924 novae fundationi in Cachoeira, Status Rio Grande do Sul, praeerat.

Munus quidem Superioris minus ei placebat; in actibus alicuius sollemnitatis coram populo comparere et publice loqui adeo ipsi repugnabat, ut potius abscondi vel alio divertii conaretur. Cum semel iterumve auctoritate Superioris utens aliquem vel aliquos publice reprehendere vellet, res tam male successit, ut, quamvis austerum vultum torvosque oculos exhiberet, potius risum quam timorem reverentialem excitaret. Attamen specialis quaedam benedictio superna et protectio ei favere videbatur; si-

quidem aliqua munia ei magis quam cuivis alii bene succedebant. Qua Rector Aparecidanus parochiam contiguam *Roseira* nostris commissam optime regebat; et in ipso Sanctuario Aparecidano centeni et milleni pie peregrinantes ipso procurante magna cum facilitate et modico pretio optima quaeque obiecta devotionis: sacra numismata, imagines, rosaria, libros precum, obtinere poterant. Ut missionibus interesse posset, aliorum sermones transcribere et — quantum poterat — memoriae inculcare minime spernebat; sic quoque aliquos exercitiorum cursus tradidit; at imprimis in sacro paenitentiae tribunali laborabat.

Durum rigorem neque in seligendis opinionibus moralibus neque in praxi asceseos consecrabatur; e contra quaecumque levamina pro corpore vel spiritu, saltem cum dispensatione Superioris, permissa erant, tum confratribus libenter procurabat, tum sibi ipse indulgebat. Mira erat eius solertia et industria in applicandis optimis remediis pro infirmitatibus corporalibus crebro occurrentibus: id quod non parum contribuit, ut praesertim ultimis vitae annis in nosocomio centeni atque centeni, quos habebat socios malorum, maximam ipsi exhiberent fiduciam etiam pro curandis animarum morbis.

En iam ultima statio sive phasis in P. Martini vita. Cum ab anno 1922 ineunte novae foundationi in Cachoeira praesesset, in ima nari vulnus *levissimum* percepit, quod nullis medicinae artis remediis cedebat. Ipso medico suadente «specialistam» quem dicunt in urbe Porto Alegre consuluit, qui mox leprae indicia deprehendit. Anno 1924 iter in Europam suscepit, quin curam mali gravissimi acciperet. Medicus quidam urbis Sancti Pauli declarabat pium aegrotantem, adhibitis quibusdam cautelis, absque periculo contagionis in communitate permanere posse. Sicque per paucos annos inter nostros noster Martinus manebat, non ita longe a medici oculis. Attamen quorundam «nervi» acutiores erant quam ipse Martini morbus; simulque in magno leprosario prope urbem São Paulo centeni aegrotantes constituti sub cura Sororum Congregatione S. Ioseph, praeter cappellanum a Curia Metropolitana missum desiderabant assistentiam sacerdotalem magis assiduam. Immo pia illae Moniales, probe nocentes statum valetudinis P. Martini, pluries preces novendiales ad Puerum Iesum de Praga faciebant, ut eiusdem Patris in valetudinarium transmigrationem obtinerent: id quod interveniente auctoritate archiepiscopali tandem consecutae sunt.

Die 5 Decembris 1928, summo mane, priusquam confratres e lectulo surgerent, P. Martinus e domo Penha exiens ad valetudinarium St. Angelo perrexit ibique S. Missae sacrificio celebrando apostolatus durioris simulque magis fecundi curriculum incepit. Quantum sacrificium ipsi fuerit separatio a confratribus, ex eo conici licet, quod aliis valedicere ei semper durum fuit, ita ut in missionibus fere nunquam ultimam contionem di-

ceret; et quamvis alterius missionarii contionem audire vix omitteret, ultimam missionis contionem nonnisi occulte audiebat, ubi testem commotionis et lacrimarum non haberet. Ipsi autem valde molestum erat, quoties contionans alium quemvis sacerdotem inter auditores aspiciebat. In nosocomio unus e nostris Fratribus iamdudum exstabat, alter — Fr. Norbertus qui ante eum obiit¹ — mox secuturus erat. Sicque etiam inter medios leprosos leprosis nostris confratribus in unum habitare vere bonum et iucundum erat. Et ubi zelans et bonus P. Martinus adeo laetos apostolatus fructus in illa vinea Dominica colligere coepit², candide effatus est id solum sibi dolendum videri, quod non citius eo devenisset; immo semel iterumque dicebat, etsi a morbo curatus esset, cum Superiorum venia malle se ibidem manere in beneficium animarum illarum derelictarum.

Circa id tempus numerus aegrotorum pedetentim usque ad 800, ultimo vitae suae anno usque ad 1200 succrevit. Exstat ibi ecclesiola, in qua cappellanus ex Ordine S. Camilli sacrum ministerium exercebat; itaque sacristia et presbyterium (circa altare maius) aegrotantibus non patebant; reliqua et quidem maior pars ecclesiae leprosis reservata manet. Cum illa valetudinarii pars, ubi plus quam 450 mulieres aegrotantes cuiusvis conditionis et aetatis sive in magnis dormitoriis sive in minoribus cubiculis morantur, ab ecclesia longius distaret, ibidem quoddam cubiculum tanquam sacellum sub invocatione B. M. V. de Apparecida dedicatum est, ubi SS. Sacramentum asservaretur, simulque ante cubiculum in ampla circuitione altare erectum manebat, ubi cotidie P. Martinus celebrabat et s. communionem distribuebat illis infirmis quae eo ire poterant. Aliis in lecto decumbentibus s. synaxin portabat — usque ad ultimos vitae suae menses, cum iam pedibus ambulare vix posset — et tandem a S. Sede veniam impetravit celebrandi in domuncula, in qua cum confratribus morabatur. Minime omisit zelans aegrotus in ecclesia publica verbum Dei annuntiare et confessiones excipere (virorum confessiones etiam in proprio cubiculo excipiebat); at inprimis in illo sacello salvandis et sanctificandis animabus allaborabat, et quidem maiori cum sollertia et successu quam illo vitae tempore quo vigor sanitatis adhuc inconcussus exstabat.

Tempore quadragesimali anni 1929 sacra missionis exercitia praedicavit eo modo qui inter nos in usu est, et cum tali eventu, ut vere dici possit: *Quia Deus visitavit plebem suam aegrotantem in leprosario*; tot enim tamque mirandae conversiones peccatorum factae, et adimpleta promissio Salvatoris: *Tristitia vestra convertetur in gaudium*. Tot leprosi, antea ob morbi molestias et ob separationem a familia tristes et ad desperationem proclives, iamiam consolationes ex sancta resignatione provenientes experiri coepe-

¹ Cfr. *Analecta* XIV (1935), 284-286.

² Cfr. *Analecta* XI (1932), 56 sq.; XII, 262 sq.

runt. Deinceps singulis annis P. Martino auctore ab aliquo nostrorum misiuncula leprosis habebatur. Apostolatus Orationis quoque erectus est. Aegrotorum et medicorum in P. Martinum fiducia et veneratio in dies crescebat. Complures acatholici sensim ad fidem conversi sunt. Peccatores qui obstinati videbantur, ipso iuvante et agente ad bonam mortem prae-parabantur. Facultatem confirmationis sacramentum administrandi obtinuit. Devotiones erga SS. Cor Iesu, B. M. V. de Rosario in Fatima et de Apparecida, S. Teresiam ab Infante Iesu... sedulo promovebat. Devotionem qua animae piae sese tanquam victimas pro expiatione peccatorum Deo dedicant, non solum ipse colebat, sed et aliis inculcabat. Optimos libros, libellos, ephemerides, sacra numismata, rosaria, Crucifixos cum indulgentiis Viae Crucis aliaque, quantum poterat, omnibus procurabat. Propagandae « Eucharisticae Nationum Societati » (*Eucharistischer Völkerbund*) Viennae a Servo Dei P. Puntigam S. I. erectae allaborabat. Frequenter exorcismum a Leone XIII editum recitabat. Dominicæ Passionis meditatio tam cara ei exstitit, ut maior pars librorum, quos ad proprium usum habebat, ea de materia agerent, speciatim visiones Servæ Dei Annæ Catharinae Emmerich. Mirum erat eius epistolarum commercium in bonum animarum susceptum cum variis Episcopis, sacerdotibus, piis laicis. Usque ad nosocomium Surinamense, Ven. Patris Donders apostolatu celebre, immo usque ad Molokkai, ubi P. Damianus inter leprosos mira sanctitatis exempla exhibuit, litteras dabat. Cum confratribus in singulis Vice-Provinciae domibus arcto caritatis vinculo coniunctus manebat. Candide fatebatur magno sibi in doloribus et aerumnis solamini fuisse, quoties aliis tribulatione afflictis consolationem praeberere posset; aegrotantibus autem magno solacio erat a Patre spirituali haec vel similia verba audire: « *Nos aegroti* debemus patientiam exercere, fiduciam in Deum, amorem erga Iesum crucifixum conservare ». Miranda P. Martini sollertia in procurandis quibusvis levaminibus malorum sociis. Laetus eorum ludis et laboribus assistebat, saepe eos deambulatum comitabatur, interdum longius excurrando curribus « automobilibus ». Plurima remedia ad sedandos dolores procurabat. Artem photographiam probe callens plurimis aegrotis gaudium afferebat, quorum effigies reproducebat, ut familiaribus et consanguineis amicitiae et gratitudinis signa mittere possent. Quoties, qui eum adibat, ut imaginem photographiam acquireret, non solum eius in hac arte peritiam, sed potius eiusdem zelum animarum experiri et admirari potuit in reficienda Dei imagine animae impressae ope gratiae sanctificantis!

Per plures annos satis bene se sentiebat in nosocomio Martinus noster, quod ex eo conici licet, quod vires sufficiebant ad sustinenda apostolatus onera ipsi homini sano satis dura. Tandem medicinae artis remedia effectu carebant, vires deficiebant. Qui tot alios singulis hebdomadibus defetisci et ad extrema perduci videbat eosque ad ultimum agonem muniebat, immo

et funus ad coemeterium deducebat, mox clare propriam condicionem perspectam habebat. Cogitatio mortis adpropinquantis iamdudum familiaris ei evaserat. Timens, ne ob crurium debilitatem a celebrando prohiberetur, sub finem a. 1935 veniam obtinuit celebrandi « sedendo ». Circa id tempus e gutture laborare coepit, ita ut vix respirare et pro alimento iusculum sumere posset. Post operationem chirurgicam mense Decembri peractam nonnisi ope duorum tubulorum respirare, iusculum haurire, aliqua verba proferre poterat. Usque ad 19 Ianuar. 1936 summo cum labore celebrabat; exinde quotidie s. communionem recipiebat; die 17 Febr. Sacro Oleo inunctus est. Die 6 Martii summo mane signis absolutionem et s. vaticum petiit et obtinuit; paulo post placide expiravit. Sub vesperum eiusdem diei, maxima hominum multitudine concurrente corpus sepulturae demandatum est. Ope « Radii » et ephemeridum mortis nuntius ad extremos Reipublicae, immo totius orbis limites pervenit. Perbellum elogium funebre continetur in verbis, quibus Curia Metropolitana S. Pauli clero et populo obitum annuntiavit « magni huius leprosum benefactoris et sacerdotis virtutibus apostolicis praediti ». R. I. P.